

cuius testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Mastrand anno Domini m^occ^ocl^o secundo sabbato proximo post festum septem fratrum.

Fragment af konungens stora sigill.¹⁾

4836.

1352 Aug. 1.

Bohus.

Konung Magnus förbinder sig att betala till grefve Henrik af Holstein 8,000 mark silfver, nämligen 5,000 mark såsom hemgift för en drottningens släkting, med hvilken grefve Henrik skulle ingå äktenskap, och 3,000 mark såsom ersättning för de tjänster, som från grefvarne Henriks och Nikolaus samt deras arvingars sida dels redan bevisats dels i framtiden skulle bevisas konungen och hans riken, hvarjämte ett ömsesidigt vänskapsförbund ingås mellan konungen och de båda holsteinska grefvarne.

Orig. på perg. i Danska Riksark.
Tryckt efter ST 2, s. 180 ff.

Omnibus presentes litteras visuris seu auditoris Magnus, Dei gracia rex Suecie, Norwegie et Scanie, salutem in Domino sempiternam. Nouerint vniuersi tam posterius quam presentes, quorum interest vel interesse poterit in futurum, nos teneri et esse veraciter obligatos magnifico principi consanguineo nostro carissimo, domino Henrico, Dei gracia Holzacie et Stormarie comiti, in octo millibus marcharum argenti ponderis Coloniensis locis et terminis infrascriptis in argento dicto payosilf vel in auro, quinque videlicet florenis pro marcha argenti qualibet necnon quinque solidis grossis vel quindecim solidis sterlingorum similiter computandis, primo videlicet in festo beati Martini proxime futuro Helsingborgis mille ducentas marchas argenti eiusdem ponderis, prout littere nostre super hoc prius confecte satis docent; item festo beati Martini anni immediate subsequentis mille marchas argenti et in terminis eisdem quinque annorum exinde immediate subsequencium termino quolibet mille marchas; item anno immediato post lapsum quinque annorum predictorum termino et loco quibus supra octingentas marchas argenti ponderis supradicti, condicionibus adiectis, que sequuntur: primo videlicet quod de summa principali premissa quinque millia marcharum argenti ratione dotis cum illustri domicella nepte dilecte consortis nostre, quam idem dominus comes Henricus matrimonialiter sibi vtique copulabit, cedere debeant, reliqua vero tria millia marcharum argenti eiusdem summe pro seruiiciis nobis impensis et imposterum nobis, consorti nostre karissime, liberis, successoribus et coronis regnorum nostrorum per predictum dominum Henricum et fratrem suum dominum Nicolaum comites et eorum heredes futuris temporibus impendendis, ad quod insolidum perpetuo se astringunt, ex mera liberalitate et beniuolencia sibi damus, vt omnia inter nos et dictos dominos comites quomodocunque, vndecunque et ex quacunque causa siue super terris, castris, debitis, monicionibus, dampnis, interesse, dissensionibus, rancoribus seu displicenciis et ingratitude in quibuscunque vsque in presentem diem mota vel suborta exhinc sedata sint perpetuo et sopita, nullis vnquam temporibus ad animum reuocanda, adeo quod iidem domini comites, eorum heredes seu causam ab eis habentes exnunc inantea nos, consortem nostram, liberos, heredes, suc[c]essores aut coronas regnorum nostrorum monendi,

¹⁾ Se K. H. Karlssons afskriftsaml. ur danska och tyska arkiv i Sv. Riksarkivet.

impetendi siue infestandi nullam penitus habeant facultatem super premissis vel aliquo premissorum. Preterea si dictam domicellam ante contractum inter dominum comitem Henricum et ipsam matrimonium morte, quod absit, contingat preueniri, extunc nos, de quatuor millibus marcharum argenti summe premisse penitus absoluti, ad soluendum quatuor millia marcharum argenti pro seruiciis et aliis supradictis, loco et terminis quibus supra, dictis comitibus teneamur. Si autem post matrimonium contractum ipsam, quod Deus auertat, migrare contigerit ab hac vita, non exstantibus liberis inter eos, extunc idem dominus comes, heredes sui vel successores nobis, consorti nostre, liberis, heredibus vel successoribus nostris ad reddendum integraliter quatuor millia marcharum argenti ponderis Coloniensis infra quatuor annos a tempore mortis consortis sue predictae computandos loco et terminis supradictis firmiter sit astrictus, ita tamen quod donacionem suam propter nuptias libere in manibus nostris tenebinus, quousque vltima summa predictorum quatuor millium marcharum argenti plenarie sit soluta. Si vero ipsum dominum comitem Henricum premori contigerit non contracto matrimonio cum eadem, tunc fratri suo, domino Nicolao comiti, qui ad amicitias et seruicia nobis, consorti nostre, liberis, heredibus, successoribus et coronis regnorum nostrorum, vt premittitur, impendenda eo modo, quo idem dominus comes Henricus est astrictus, in quatuor millibus marcharum argenti premissis tenemur et volumus obligari. Item si memoratum dominum comitem Henricum, quod absit, morte preoc[c]upari contingat, ipsa superstita, liberis non exstantibus inter ipsos, extunc donacionem suam propter nuptias videlicet terram Segheberg cum castris, municionibus, omnibus et singulis suis iuribus ac pertinentiis vniuersis in litteris eiusdem domini comitis expressatis ad dies suos libere retinebit, ipsamque comites Holzacie succedentes in omnibus iuribus suis quatinus quoscunque cum omni eorum potencia fideliter iuuare, defensare et proplacitare tenebuntur. Si vero ad patriam redire vel ad secundas nuptias voluerit se transferre, extunc heredes vel successores ipsius comitis dictam terram cum omnibus suis iuribus, vt premittitur, pro sex millibus marcharum argenti ponderis Coloniensis soluendis in sex annis a tempore mortis memorati domini comitis loco et terminis prius dictis redimere teneantur, ita tamen quod terram prescriptam cum omnibus suis pertinentiis et iuribus predictis in manibus suis libere retinebit, donec sibi de vltima summa predictorum sex millium marcharum argenti integre fuerit satisfactum. Si autem innupta penes donacionem suam premissam voluerit residere, hoc in sua sit libera potestate. Si vero, quod absit, memoratum consanguineum nostrum, dominum comitem Henricum, ipsa superstita, morte contigerit preueniri, liberis exstantibus inter eos, extunc ipsa donacionem suam predictam ad dies suos libere retinebit, nisi forte repatriare vel ad alia vota decreuerit transuolare, tunc tria millia marcharum argenti ponderis sepredicti de predictis sex millibus marcharum argenti percipiet continue per tres annos eciam loco et terminis quibus supra, reliqua vero tria millia marcharum argenti liberis predictis pro matrimonio cedere teneantur. Vt autem inter nos, consortem nostram, liberos, successores et coronas regnorum nostrorum ex vna parte et memoratos consanguineos nostros, dominos comites, eorum heredes seu successores parte ex altera firmior sit amicitia et stabilior securitas, quo solidiori vinculo mutuo obligamur, astringimus nos, consortem nostram, liberos et successores nostros ad amicitiam

et amicabilem confederacionem caritatiue cum eisdem dominis comitibus, eorum heredibus et successoribus perpetuo tenendam et inuiolabiliter obseruandam, prouiso quod, si predictos dominos comites dissensiones seu inimicicias cum aliquibus amicis nostris habere contingeret quouis modo, extunc nos plenam habebimus facultatem dissensiones et inimicicias huiusmodi terminandi secundum iusticiam vel amorem, eodem viceversa seruato; quod si nos cum amicis aliquibus dominorum comitum predictorum inimicicias habere contingeret aliquales, tunc iidem domini comites vna cum duobus consiliariis dictas dissensiones et inimicicias terminandi habeant potestatem per amicabilem compositionem vel iusticie rigorem, prout consulcius et vtilius videbitur faciendum, hoc nichilominus adiecto, quod si seruitores nostri, cuiuscunque status fuerint, hominibus dictorum comitum casu aliquo iniuriam fecerint aliqualem, seu homines ipsorum nostris hominibus et seruatoribus viceversa, tunc quatuor ex vtraque parte, duo videlicet ex parte cuiuslibet nostrum, super iniuriis huiusmodi iusticiam faciant secundum terre leges, in qua factum est commissum, pace et hac amicabili concordia nichilominus in suo vigore perpetuo et inuiolabiliter duraturis. Preterea super auxiliis et seruiciis inter nos hincinde mutuo faciendis vnus nostrum alteri talem affectum prebeat, qualem, si necesse fuerit, viceversa duxerit requirendum. Super seruicio vero vel auxilio, quod vnus nostrum alteri mutuo prestiterit, nullus nostrum dampnum seu interesse teneatur alteri computare. In quorum premissorum testimonium et euidentiam firmiorem sigilla nostrum et dilecte consortis nostre predictae presentibus sunt appensa. Nos insuper Gødzstaus Tunasson, Karolus Neskonungsson et Benedictus Algutsson, domini nostri regis predicti consilarii, vna cum eodem domino nostro rege pro premissis omnibus et quolibet premissorum inuiolabiliter obseruandis bona fide promittimus, sigilla nostra presentibus in testimonium apponentes ac eciam vna cum dicto domino nostro rege insolidum saluo honore promittentes, quod litteras publicas super premissis omnibus de verbo ad verbum fieri faciemus sub sigillis nostris premissis et aliorum plurium consiliariorum nostrorum dictis consanguineis nostris dilectis dominis comitibus vel eorum certo mandato Helsingborgis in festo beati Martini proxime futuro vtique assignandas. Datum apud castrum nostrum Bawahws anno Domini millesimo ccc° quinquagesimo secundo in festo sancti Petri aduincula.

På baksidan med något yngre hand: Magnus, rex Swecie, fuit obligatus domino H. comiti in octo millibus marcharum argenti puri. — Non extendit se ad heredes, (och därefter med annan hand) sed articulus confederacionis ad heredes se extendit.

Sigill: n. 1 (Konung Magnus'; Sv. Sig. fr. Medelt. I, 1, 59—60) fragment; n. 2 (Drottning Blanches; Sv. Sig. fr. Medelt. I, 1, 66); n. 3 (Gustaf Tunessons; Sv. Sig. fr. Medelt. I, 3, 418 och 592); n. 4 (Karl Näskonungssons; Sv. Sig. fr. Medelt. I, 3, 318); n. 5 saknas.